



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

19. De causis & effectu recusationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

picionis duntaxat, deque veritate & idoneitate illius, *cap. Legitima eod. in 6. statuentque recusatori terminum ad probandum, c. Secundò requiris 42. §. 1. & c. Cum speciali 61. hoc tit. Quod si in cognoscendo convenire nequeant, assument tertium, qui cum iis iudicet: & ad hoc per Judicem recusatam cogi poterunt, d. e. Cum speciali; sicut & ut ferant sententiam intra certum terminum.*

6. Probata coram arbitris sufficienter iustâ causâ suspicionis, & sententiâ desuper per arbitros lata; Judex cognitionem causâ alteri demandabit, de recusatoris consensu, vel remittet ad superiorem, *d. e. Cum speciali vers. causa. Non probata verò causâ suspicionis, vel probata quidem, sed illegitima & inidonea iudicata, ad Judicem recusatam remittetur, isque perseverabit Judex, d. e. Secundò requiris §. 3. d. e. Cum speciali, juncto c. 4. sup. de foro competentis; sicut & quando Judex appellationis pronuntiat bene iudicatum, & malè appellatum, remittitur causâ ad Judicem à quo, c. Vt debitas 59. in fine hoc tit.*

7. Quod si verò arbitri intra præfixum sibi tempus vel neglexerint vel detrectarint declarare, an causâ sit iusta, & Judex recusatam male expectare finem temporis iis præfixi, quàm ad id cogere; lapsò tempore sine ulla arbitrorum sententiâ, potestas procedendi ulterius ad ipsum revertitur, seu ejus tollitur suspensio, *d. e. Legitima in fine.*

8. Cæterùm Jure civili non est necesse causam suspicionis in libello recusatorio exprimi, sed sufficit nuda allegatio causâ. Unde & in genere, secundum formulam recusandi traditam à *Glof. in d. l. Apertissimi in V. recusare, & V. libello*, potest allegari quis suspectus, etiam sine causâ expressione, dummodò recusans præstet juramentum de calumnia, quod calumniae non recuset: nam hoc juramentum erit loco probationis, eò quòd quilibet præsumatur memor suæ salutis, *Glof. in d. Apertissimi in V. recusare*. Et idèò arbitri, à partibus electi, secundum Jus civile, omisso articulo suspicionis, in causâ principali cognoscunt, tanquam si à Principe essent ejus dati Judices: quia ex quo suspicionis causâ non est inferenda, nec consequenter est probanda, *l. fin. Cod. de iudiciis*.

9. Sed & illud discriminis est inter Jus Ca-

nonicum & Civile, quod Jure Canonico tam Ordinarius, quàm delegatus recusari possit, etiam Episcopus, *d. e. Secundò requiris §. 3. & d. e. Cum speciali, & aliis similibus*.

10. At verò Jure Civili delegatus quidem recusari potest, ut suspectus, *d. l. fin. Cod. De iudiciis, & d. l. Apertissimi*: Nisi delegatio expressè facta sit à Principe, cum clausula, *Remota recusatione*, prout indubiè de Jure communi delegare potest, quando quidem possit causam alicui committere, remota appellatione, *l. 1. §. fin. D. A quibus appellare non licet*: quæ est species defensionis, in præsidium innocentie introducta, & proinde juris naturalis, *d. e. Cum speciali* nam inde à fortiori poterit delegare cum clausula, *Remota recusatione*, cum hac adempta superfit adhuc remedium appellationis, ut notat *Glof. in d. Apertissimi in V. recusare*. Cæterùm eodem Jure Ordinarius Judex nequit recusari, ut suspectus, ad hoc, ut removeatur, tanquam suspectus; sed si subit aliqua causâ suspicionis, alius ei adiungendus est, *Auth. Si verò contigerit Cod. de iudiciis, Glof. in d. l. Apertissimi V. Iudices*.

11. An autem Commissarii dati ad recipiendos & examinandos testes recusari possint? dubitatur. Et verius est, posse: quia sunt Judices delegati, omnisque victoria in probationibus consistit. Ac proinde plurimum interest partium habere Commissarios, omni exceptione majore Non tamen hoc casu ad arbitros, sed ad eandem recuti vel provocari, ut alios Commissarios non suspectos det, tradit *Gail. r. Obser. 33. ubi vide, an totum aliquod Collegium vel Universitas aut Synodus vel Parlamentum recusari possit, eò quòd caput illius sit suspectum*.

§. XIX.

De causis & effectu recusatationis.

1. Causa recusationis iusta in arbitrio Iudicis posita.
2. Sunt varia & multipliciter.
3. Effectus recusationis est, suspendere jurisdictionem Iudicis.
4. 5. Alias Processus erit nullus ipso Jure.

1. Quæ verò sint iustæ causæ recusandi Judicem, certò definiti nequit: ideoque

magis in arbitrio Judicis, quam certâ legis definitione ea res consistit; Panor. in c. Cum speciali in hoc tit. Et hinc fit, quod recusatione proposita plerumque cognitio illius ad arbitros rejiciatur. Suspicionis sup. De officio delegati, d. c. Cum speciali, &c. Legitima eod. in 6. Ad quos non esset necesse recurrere, si ejus in jure extaret certa definitio. Justa interim & indubitata reputatur omnino illa, quam Canon vel Lex pro tali habet.

2. Sunt autem variæ & multiplicæ ejusmodi causæ. Et quidem Maranta in Spec suo aureo p. 6. De appellat. actu 2, à n. 27. enumerat quadraginta: quarum prima est, si Judex sit familiaris alteri parti, magna scilicet non modica familiaritate. Secunda, si Judex ordinarius ex aliqua justa causa sit suspectus, potest & vicarius ejus ex eadem causa recusari, licet in specie adversus vicarium nulla alia sit suspicio. Tertia, si Judex sit consanguineus alterius partis & non æqualiter utriusque. Quarta, si dominus sit suspectus ex eadem suspicionis causa: tota ipsius familia potest allegari suspecta: & sic de aliis similibus, de quibus vide Marantam d. loco.

3. Effectus recusationis est, quod postquam fuerit proposita, pendente desuper cognitione, nisi frivolam esse constiterit, Judex in causa supersedere, nec ad ulteriora procedere debeat; aliis Processus erit nullus, & sententia, si quam tulerit, nulla.

4. Ceterum an ipso jure, an verò validitas vel nullitas sententiæ seu processus pendeat ab eventu probandæ vel improbandæ causæ, ut probata causa recusationis declaretur nullus, improbatâ verò validus (sicut attentata per Judicem à quo, post interpositam appellationem ab interlocutoria ante inhibitionem Judicis ad quem legitimam, non revocantur, priusquam de veritate constiterit) variant Interpretes, Gaill. i. Observ. 33. num. 12. Sed verius est; ipso jure & quidem utroque, esse nullum, secundum Glos in can. Quocies 2. q. 6. Marantam 4. p. Distinct. 16. versic. 2.

5. Dicitur esse nullum; tum quia satius est, ut impediatur, ne quid fiat, quam ut factum postea cum verecundia Judicis recusari retractetur: tum quia generaliter sicuti inimici, ita quoque suspecti non debent esse causæ Judicis. Secundò requiritur §. tertiò postulas hoc tit.

Est enim periculosissimum & à ratione alienum coram Judice suspecto litigare, c. Cum inter sup. De except. c. Accedens sup. Vi lita non contestata, & d. l. Apertissima ut Judex recusatus non assimiletur ei à cujus interlocutione dumtaxat est appellatum, sed ei, cui post appellationem ab interlocutione per Judicem provocatum facta est inhibitiō ulterioris prosecutionis, quasi uti ibi hominis, ita hic inhibitiō sit Juris: constat autem, omnia acta post inhibitionem esse ipso jure nulla, c. Non solum hoc tit. in 6.

§ XX.

De Relationibus.

1. Relationum affinitas cum appellationibus.
2. Differentia
3. Quid sit Relatio. 4. Fit dupliciter.
5. Hodio utroque jure ferè extra usum abiit
6. De relatione ad Principem.
7. Differentia Relationis & Consultationis.

1. Appellationibus rectè quoque subjiciuntur Relationes, sicut & in Pandectis, propter similitudinem, quam cum iis habent: nam sicut appellatio fit ab inferiore ad superiorem, ita & relatio & sicut pendente appellatione, ita & pendente relatione, imò etiam promissa dumtaxat, nihil attentari seu innovari oportet, c. Licet sup. De officio jud. delegati, l. 1. D. Nihil innovari appellat interposita, l. Ex illo Cod. De appellat. l. Si quando Cod. De relation. & ibi Bald. quia sicut per appellationem causæ cognitio devolvitur ad superiorem, ita & per relationem; sic quòd. apud referentem seu remittentem esse definit, l. Ad principem 2. D. De appellat. & relation.

2. Quamvis in eo differat relatio ab appellatione, quòd appellatio post, relatio autem ante sententiã interponatur: exceptis causis criminalibus, l. Inter poenus 6. D. De interditiis & releg. l. Si quis filio §. quid tamen D. De injusto rupto testam.

3. Est enim Relatio hoc loco, ommissis aliis ejus acceptionibus, de quibus Maranta 6. p. actus 2. n. 10. Judicis inferioris, de jure dubitantis, ad Superiorem, Pontificem vel Principem, aut etiam Proconsulem vel Præsidem, transmissa consultatio ut sciat quid in judicando sequendum sit, l. Eum quem §. 1. D. De judiciis, Dixi, de jure